



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 10. Bellum Regis Navarræ adversus Castellæ Regem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

manus effugerat, sed raro felicitatis con- Sæcul. XV.  
cursu unacum libertate, conjugem, uni- A.C. 1460.  
cum Filium suum, regnique coronam re-  
cuperavit. Regina, parta Victoria cum  
glorioso exercitu suo recta Londinum  
contendit, urbemque Victrix ingreditur,  
atque ab incolis debita submissione, sum-  
misque honoribus excepta, denuo Re-  
giæ auctoritatis jura resuscitavit. Ebora-  
censes tanto victiarum successu conter-  
riti, nil reliquum habebant, quam ut se  
ultroneo exilio ex Anglia subducerent.  
Ast improviso Regis consilio (\*) brevi  
factum, ut iidem ad pristinas spes suas re-  
dirent.

## §. X.

*Bellum Regis Navarræ adversus  
Castellæ Regem.*

Eodem anno nil propius esse videbatur,  
quam ut novæ identidem belli flam-  
mæ inter Castellæ, & Navarræ Reges ex-  
ardescerent. Navarrus enim sua armo-  
rum potentia, ac plurium Regnum imperio elatus, gloriæ suæ labem inuri cen-  
sebat, si urbes, quas Castellæ Rex usur-  
paverat, eidem relinquoret. Ergo bellum  
illi nunciare statuit, ut vero validum con-  
traheret exercitum, Lusitanæ Regem  
novo

(\*) Corrige ex §. XIV.

Sæcul. XV. novo affinitatis vinculo sibi devincire de-  
A.C. 1460. crevit; cum enim ille ob plures Provin-  
cias, quas non ita pridem occupaverat,  
potentissimus esset, nuptias inter Cathar-  
rinam Lusitani Regis Filiam, & Caro-  
lum Filium suum conciliare nitebatur.  
Verum Henricus Castellæ Rex tempesti-  
ve rem edoctus, Navarræ Regis conati-  
bus obsistere moliebatur, huncque in  
finem clam Carolo Isabellam Sororem  
suam in Sponsam obtulit. Placuit Prin-  
cipi Consilium, eo vel maxime, quod  
Henrici potentia suffultus speraret, se  
Navarræ Regno potitum, quod Pater  
eius Joannes nomine, non sine injustitiae  
nota possederat; quippe regnum hoc Ma-  
tris suæ hæreditaria erat portio, & ali-  
unde Pater eius pluribus aliis abundabat  
ditionibus. Igitur solii capessendi spe la-  
ctatus, antiquas Bellomontensium factio-  
nes eo consilio restaurabat, ut hasce  
turbas sedandi obtentu Navarræ Regnum  
cum valido exercitu adoriri valeret.

## §. XI.

*Carolus primo comprehensus, iterum  
libertati donatus, tandem jussu Pa-  
tris sui veneno interfactus.*

Joannes Rex, comperto filii consilio,  
eum comprehendi jubet: cum vero  
Navarenses æque ac Catalani illius liber-  
tatem